

III.

NEOVIDENSIS

Nro 73. (Neovidensis Nro 96.)

Ixion, Phlegiae, vel ut alii Aetionis filius varia habuit fata, fuit rabie percussus, iterum Coelo addictus, tandem fulmine in inferos detrusus, et rotae alligatus perpetuo volubili; Ex hac excussa est sequens Dissertatio: De libertate cogitandi.

Elysium -- Meuna. -- Die Martis 11. Dec., 1804. (Neov. 27. Nov.)

Sententia :

Libertas est facere non quod placet, sed quod oportet.

Montesq. l'esprit des loix.

Vere pronunciavit Montesquieu, nam libertas civilis in eo consistit, ut quilibet salutem societatis pro virili promoveat. Omnis ad triremes damnatus majore gaudet libertate, quam Robertspierius. Eapropter bonum commune societatis est mensura libertatis, nemo itaque sibi blandiatur, posse a libertate talem produci æqualitatem, qualem homini ipsa natura denegat. Apud liberam na-

tionem singuli fruuntur illis commodis, quæ illis vel casus, vel dexteritas, aut industria procurat. Inviolabiles leges civiles omnes æqualiter stringunt, qua ratione veram inducunt æqualitatem, quam unicam optandi jus habent homines. Et quæ sunt, quæso, emolumenta hujus libertatis? Securitas personarum, & rerum, atque persuasio, nos omnes debere tendere unitis viribus ad promovendam communem felicitatem. In hoc sensu quilibet in Republica a summo usque ad minimum est benevolus servus alterius.

Sed quid sibi vult libertas cogitandi? Cum nemo hominum alterius cogitationes pervidere queat, nisi easdem ipse manifestaverit, adeoque etiam nemo alterum impedire, ne, quod libuerit, animo volvat, tametsi idem per se, & interne obligatus esse possit ad alias, quam reapse animo completatur, suscipiendas cogitationes, & alioquin Deo de omnibus etiam internis rationes redditurus sit; eapropter in quæstione quid sit libertas cogitandi, non id proprie quæritur, quid interne in anima alterius agatur, sed ita exoptata, & mirum in modum dilaudata libertas cogitandi, est libertas suis cogitationibus conformiter agendi, sua interna verbis, vel scriptis explicandi.

Libertas cogitandi nullis plane limitibus circumscripta non datur, nec in statu ho-

minum absoluto, nec in societate civili. Semper enim eam externæ comitantur declarationes, unde fieri potest, ut iis alii homines offendantur, ad quod nemini jus competit, imo quilibet jure optimo læsiones a se amolitur, & pro illatis damnis indemnitatem, securitatemque postulat. Qua in re nullam meretur considerationem, an, quod prolatum est, veritate nitatur; non enim repugnat, ut dicta etiam veritate quis injuriosius lacessatur, si nimirum ea inferat damnum, & nulla aderat necessitas eandem effutiendi.

Igitur mensura, secundum quam libertas cogitandi æstimanda est, in hoc consistit: An per eam vera aliorum hominum jura violentur, vel secus; si etenim nostris externis signis jura aliorum nulla ratione infringantur, nullum quoque jus illi habent ea prohibendi, multo minus vim adhibendi, cujuscunque demum generis fuerint illæ declarationes. Quod si dicta, & facta aliorum nostram invadant personam, & quidem ita, ut certa nostra jura imminuantur, aut bonæ nostræ existimationi macula inuratur, & alia similia; nullum potest esse dubium, quin gaudeamus jure ejusmodi læsiones a nobis propulsandi; Verum in hunc finem in societate civili invocanda est autoritas magistratus.

Si autem quæpiam tantum principia concernant, quæ ad nos nihil atinent, neque

nos immediate afficiunt, ea nobis in statu naturali absoluto toleranda sunt. Aliter se res habet, si eadem principia relate ad Statum publicum considerentur, qui ex iis detrimentum capere potest, & ideo pleno jure pollet prohibendi eorum disseminationem.

Hæc est externa libertas cogitandi, quam eum interna non oportet confundere. Hæc enim nulli humanæ potestati subjecta est, illa vero ex interno animi sensu profecta prodit se verbis, & potest aliis nocumento esse. Pessime itaque quis ita argumentaretur: nemo mortalium potest internam restringere libertatem, ergo cuilibet licet etiam externe dicere, scribere, & docere, quod placet. Hinc potest peti ratio, cur integrum sit in Anglia factioni oppositionis, libertatem cogitandi manifestare, quia illa præcipuam partem Anglicæ constitutionis efficit. In aliis Provinciis, in quibus Status, & Ordines personam Anglicæ oppositionis sustinent, & de rebus publicis more veterum Patriarcharum deliberant, libertas cogitandi se tantum ad eorum repræsentationes extendit, & nemini conceditur, paternas consultationes manifestas facere.

Sæculi 18. Eruditi conabantur omni possibili modo propugnare libertatem cogitandi obtentu expugnandorum præjudiciorum. Primum aggressi sunt Hierarchiam ecclesia-

stican
opini
runt,
enata
cent a
mih
sapien
in nu
co ej
revoc
mine
ex ill
multu
nem,
num
verit
num
agitat
vendit
artem
bos.
titudo
medic
Damo
stupid
num
infesta
senter
ampli
infirm
verba
prius

sticam, deinde ipsam religionem, qua re in opinionibus hominum terribile chaos induerunt, unde ingens perturbatio cogitationum enata est; quid vero profecerint, abunde docent acta revolutionis. Hac occasione venit mihi in mentem Historia cujusdam idmodi sapientis, qui gravissimas religionis veritates in numerum superstitionum collocavit; parco ejus nomini, quia tandem suos errores revocavit. Totam facti seriem dabo sub nomine *Damonis*. Noster *Damon* erat unus ex illis, qui vulgo fortes spiritus vocitantur; multum ille debachabatur contra superstitionem, erat Philosophus Sæculi 18. Ante annum suum aurigam domo abegit, quod sciverit absque miraculo decoctum avenæ in vinum convertere. Vaferrimus iste curruum agitator se esse medicum circumforaneum venditavit, annunciavit publice, se callere artem curandi omnes etiam desperatos morbos. Fides ei est habita, innumerabilis multitudo hominum ad eum confluit emtura medicinam universalem. Audivit hec etiam *Damon*, & confirmatus est in sententia, qua stupidæ superstitioni deditum genus humanum aspernabatur. Interim *Damon* morbo infestari cœpit, Medici habito consilio ferunt sententiam, contra vim ejus morbi in nullis amplius hortis reperiri medicamen, atque infirmum deserunt. Tunc domestici multa verba faciebant de admirando Doctore, qui prius aurigam egerat. Lecto affixus videns

se ab arte derelictum, spem suam defigit, in quo potest, jubet advocari circumforaneum. Adest ille non jam ut perfidus auriga, sed tanquam consolator, adfert argumenta, quibus suæ arti fidem conciliet. Damon corripitur imbecillitate, tremit, desperat, & denique credit. Quam obrem? quia spe sustentabatur. Res mira! superstitiose credidit impostori, quî nihil credidit religioni. Summa medicina mortuus est in superstitione, contra quam toto vitæ suæ tempore ad ravim usque declamabat. O quæ hinc doctrina! fuisset Damon religioni addictus, profecto hanc stultitiam non commisisset, quæ Philosophiæ non cedit honori, & vitam pacifice finivisset. Heu quanta ejus animum usque ad extremum halitum circumdedisset tranquillitas, quantum ille in doloribus sensisset solatium! Quæ de causa? quia Christi disciplinam professus paratissimus est hanc vitam cum meliore commutare.

Sed manum de tabula. Lubet cursum negotiorum politicorum pervolvere, inprimis Parisinorum, quæ de 22 Nov. ita sonant:

Juxta litteras Cæsaris Burgo allatas Rumboldius Anglicus negotiorum gestor nocte in 16tam vergente illuc appulit, & una cum officiali se comitante divertit ad Præfectum Daubignium. Elapsa media hora conscendit paratam pro se navim, sed quæ eadem die

reversa
in dist
taniæ
Rumbo

In
Aulicis
except
dem t
conces
hujus
ctissim
manus
nit, u
tatione
tra pr

N
pli,
multit
Ista
benda
tem c
sæpius
habea

M
enum
bus I
excerp

reversa est, nam circa horam 7 matutinam in distantia 8 horarum ab oris Magnæ Britannæ deprehendit Anglicanum navigium, cui Rumboldium tradidit deferendum in Angliam.

Imperator, & Imperatrix cum nonnullis Aulicis profecti sunt ad Fontem Bellaqueum excepturi ibidem Romanum Pontificem. Eodem tempore etiam Cardinalis Legatus illuc concessit. Reditus Imperatoris putatur 28. hujus futurus, quo tempore simul cum Sanctissimo Patre Parisios intrabit. Pontifex Romanus die 12 hujus noctu Taurinum advenit, ubi missam sibi Parisiis obviam Deputationem reperit; At 13 maue iter suum ultra prosecutus est.

Nudius tertius aperta sunt ergastula Templi, & Fani S. Germani, unde innumera multitudo captivorum libertate donata est. Ista manumissio horum infelicium adscribenda est gratiæ Imperatoris ob imminentem coronationem. Spes est non vana, ut sæpius adhuc hujusmodi beneficia locum habeant.

Monitor Parisinus heri totus erat in enumerandis rebus, quas ex Ephemeridibus Londinensibus usque 10. diem hujus excerpit. Pauca illæ continent facta ali-

ejus momenti, & ideo plures rumores. Inter alia narratur Londini, jam quintam navim Hispanicam, quæ mercurio onusta ex portu Gaditano in Paraquariam solvere parabat, ab Anglis esse occupatam: Item intervenisse quamdam mutationem in Ministerio, denique Infantem Hispaniæ (*Principem Asturiæ*) in custodiam esse datum, eamque esse Aulæ Hispanicæ mentem, ut cum consensu Galliæ jus successionis in Regno in filium Regis secundo genitum transferatur. Qua de re Monitor Parisinus diversas more suo facit animadversiones.

Si fides habenda privatis Gaditanis nunciis, a quo tempore Angli nostras ex America revertentes naves hostiliter adorti sunt, omnes Anglorum naves in Portibus Hispanicis existentes captivæ retinentur.

Hispanica navis, Sabina, quæ etiam notabili summa pecuniæ onerata viam ex America in Hispaniam legebat, feliciter elusa Anglorum vigilantia portum Viganum intravit.

Amstelodami variorum sermonibus jactatur, Batavia advenisse famam de præterito mense Februario: In insula Ceylon fuisse Anglos a Rege Candyæ prælio superatos, & fere intereptione deletos.